

S· G· B· T· B·

1661

26. A.h

Min / A

T. q. 259.



COLLEGII SECUNDI
In Augustanam Confessionem

DISPUTATIO VII.

continens

ANTI^ΘEESIN ARTICULI IV.

De duabus hisce Quæstionibus,

An peccata tegantur,

&

An peccata non imputentur.

Proposita

In inclutâ Electorali Academiâ VVittebergensi,

P RÆS I D E

JACOBO MARTINI, SS. TH.

D. & Profess. Publ. Primario, Facult. Theol.

Seniore, ac Templi Arcis Præpolito:

R E S P O N D E N T E

M. JOACHIMO REICHMANNO,

Luneburga-Saxone.

Habebitur in Auditorio Collegii Veteris

*Ad diem 23. Augus*ti*.*

WITTEBERGÆ,

Typis Hæredum SALOMONIS AVERBACH,

ANNO M DC XXIX.



COLLEGII S. COLUMBI
AN ALLEGATORIUM CONFLUENTI
DISCUSSIONIS TRACTATI
DE QUAM VICE DASTRONIA
AU DECETE LEGITIME
AN BECCAEI POSITIONE
IN DISCUSSIONE A V. AVICENNA
ET M. MARTINI
ET M. BECCAEI
M. COLLEGII S. COLUMBI

Continuatio.

Ropositio & quæstio hæc : An peccata tollantur in Justificatione,
à Becano , uti vidimus Disputatione
quintâ , in tres partes divisa est ; quarum
prima fuit , peccata in justificatione pe-
nitùs non tolli , eamque duabus præcedentibus Dispu-
tationibus examinavimus : sequuntur duæ posterio-
res : An peccata tegantur ; & An peccata non impu-
tentur ? De quibus hac disputatione agemus .

THESES I.

Pergit ergò Jesuita Sect. 14. ad secundam partem quæstionis
ejusque tractationem trimembrem facit . Primùm pro-
ponit nostram thesin , eamq; more suo confutat : Deinde no-
vam Calvini adfert objectionem , & ad eam responderet : Ulti-
mò pro suâ sententiâ aliquem Scripturæ locum adducit , ad
quem responderi non posse existimat . Videbimus singula
ordine .

II. Primum membrum est : Refutavi (inquit Becanus)
primam partem propositionis Calvini . Altera est , peccata manere qui-
dem , sed tamen tegi & occultari Justitia Christi , ne appareant in conspectu
DEI Patris . Hoc facile ex dictis refellitur . Nam si peccata vere tol-
luntur , delentur , abluuntur , ut probatum est ; optimè sequitur , non te-
gi tantum & occultari . Nec puto quenquam fore tam insipidum , qui
Scripturæ verba eludat in hunc modum : Agnus DEI tollit , id est , tegit pec-
cata mundi . Et , convertimini , ut deleantur , id est , tegantur peccata .
Et ablue , id est , tēge peccata tua . Et Christus oblatus est ad multorum ex-

haurienda, id est, occultanda peccata. Et, projiciet id est, teget, in profundum maris omnia peccata. Et, diripiisti, id est, occultasii vincula mea. Nimirus insulsa sunt hæc.

III. Initio, quomodo Isthmum perfoderit Becanus, judicet, qui judicio corruptus non est. Nihil minus fecit Jesuita, quam quod nostram sententiam, in primâ parte contentam, refutaverit; uti etiam verba sunt, alteram, peccata tegi justitiâ Christi, facile ex dictis refelli. Si enim illis subverti non potuit, peccata per Justificationem penitus non tolle; utique nec destruent alteram. Peccata in justificatis justitiâ Christi tegi: quandoquidem una alteram infert & confirmat.

IV. Argumenti deinde Elencticî formula hæc est: Quod verè tollitur, deletar, abluitur, illud non tantum tegitur & occultatur: At peccata verè tolluntur, delentur, abluuntur: Ergo non tantum teguntur & occultantur.

V. Respondemus primùm ad Majori antecedens ex illis, quæ in præcedente Disputatione de statu controversiarum, Sophisticè formato, monuimus, accuratè loquendo non disputari inter nos & Pontificios de eo, quod verè tollitur, sed de isto, quod penitus auferitur vel non auferitur in justificatione. Si ergo Antecedens illud rectè formatur, & additur Consequens, tum propositio erit hujusmodi: Quod penitus tollitur, deletur, abluitur, illud non tantum tegitur: Et sic simpliciter vera est, & nemo eam negabit; tū verò & in Minore delenda est vox Verè, & substituenda altera in Majore posita, Penitus, hoc modo: At peccata in Justificatione penitus tolluntur.. Sic formatam Minorem negavimus in præcedentibus, & negativam nostram masculè defendimus & obtinuimus. Si autem illud Verè retineatur, tum in Majore fallacia à dicto secundum quid &c. committitur, proindeque tantum simpliciter intellecta à nobis conceditur; nempe, quod verè & simpliciter tollitur & abluitur, illud non tantum tegitur. Atque hoc casu negamus Minorem, nempe peccatum simpliciter tolli, quippe demonstravimus, peccatum in justificatione tantum secundum quid, & ex parte duntaxat tolli, nempe quoad Reatum, non quò ad Actum.

6. Quod

VI. Quod attinet dictum Johannis Baptiste, Joh. 1.
vers. 29. Agnus DEI, qui tollit &c. Sufficienter ad illud in præce-
dibus est responsum. Breviter : In auctoritate hac Baptiste sen-
tentia verbum Tollere, neque tegere peccata significat, neque
peccata a nobis, vel potius ab universo mundo penitus & rea-
liter auferre : sed peccata mundi in se suscipere, non quidem
ita, ut fiat realis transfusio qualitatis, hoc est, illius malitiæ
(quam in se universus mundus habuit, & adhuc habet, & usq;
ad finem mundi habiturus est) de subiecto in subjectum; h.e. de
mundo in Christum, quo mundus fiat realiter & per mundi-
tatem inhærentem mundus, & Christus realiter & per inhæren-
tem immunditatem immundus : Nemo sane tam amens erit,
qui hoc absurdum ~~etiam~~ concedat. Sequeretur enim inde
in Accidentia realiter transfundi de subiecto in subjectum,
quod hactenus pro absurdissimo est habitum. 2. Accidens
quoddam (ut futura peccata) quando nondum est neq; actum
neque essentiam suam habet, actu inhærrere : Sicque accidens
aliquid esse antequam sit. Quod contradictionem, & sic tur-
pissimum mendacium implicat. 3. Et denique, quod omni-
um absurdissimum, & maximè impium esset, Christum revera
peccatorem factum esse, justum autem Mundum ; proindeque
non amplius justum pro injustis, sed injustum pro justis ; non
innocentem pro peccatoribus ac reis, sed peccatorem ac rerum
pro innocentibus passum & mortuum esse.

VII. Ut ergo Jehova conjectit in illum iniquitates omni-
um nostrum, Esaiæ 53. vers. 6. sic quoque tulit, suscepit & in se su-
scepit peccata mundi, Iohann. 1. vers. 29. non per realem peccato-
rum transfusionem, sed per veram imputationem ; In se au-
tem suscepit peccata totius mundi, & pro illis satisfecit lan-
guores nostros ferendo, & dolores nostros portando ; Es. 53, 4.
ut illa in justificatione & verâ per fidem applicatione justitiae
Christi revera remitterentur, licet non penitus auferrentur.

VIII. Quemadmodum ergo nemo ex nostris tam insi-
pidus est, ut statuat, verbum Tollere, in dicto Johannis, idem
esse quod Tegere ; sic neque speramus, aliquem inter Jesuitas

cam stolidum, ne dicam impium, ac in Christum iniquum esse, ut sibi persuadeat, verbum tollere inibi idem esse, quod realiter auferre, & in se transferre, & suscipere, & sic ex Christo realem peccatorem, hominemq; injustum facere.

I X. Sic quemadmodum non est necesse, ut in altero illo Dicto : Convertimini, ut delectantur &c statuamus, verbum Deleri idem esse, quod Tegere: ita neque necessarium est, ut statuamus Psalm. 32. peccata tegi, esse peccata penitus tolli, vel hoc dictum illi contradicere. Quandoquidem utrumque dicit Sacra Scriptura, & divina veritas est: deleri peccata; ac tegi peccata: proindeque utrumque nos Lutherani firmiter credimus. Delentur revera peccata in justificatione, idque dupli modo: 1. Totaliter & secundum Actum, & secundum Reatum, nempe sic ex Memoriali Dei delentur. Hoc enim modo ita planè peccatum delet & aufert Deus, ut Ortus ab Occasu non possit esse tam remotus, quam procul à reconciliato homine peccatum in conspectu DEI abest, Psalm. 103. v. 12, imò in profundum maris sunt quasi proiecta, & sic è conspectu DEI planè remota, Mich. 7. v. 19. ut nunquam eorum recordetur amplius. 2. Partialiter, & sic non quidem secundum Actum, secundum Reatum tamen, atque ita auferuntur in justificatione peccata revera ab homine, & quando hoc modo ab homine tolluntur, simul teguntur peccata, nempe secundum aliquem & adhuc inhærentem actum. Atque de hoc loquitur Psal. 32. v. 1. Beati quorum remissae sunt iniquitates, & quorum tecla sunt peccata.

X. Actorum 22. v. 16. non est Ablue Activum, sed Abluitor passivum: ἀπόλυτας τὰς αὐαρτίας σὺ abluitor à peccatis. Deceptus videtur Latinus Interpres Græcā hac Constructione, quatenus alijs satis nota est. Licet Activa versio commodè explicari possit, quod facit Flacius in suā Clavi part. 2. tract. 6. de variis bonorum operum in S. Literis Prædicatione, sect. 38. mihip. p. 550. lin. 63. Præstat tamen utrumq; verbum βάπτισας & ἀπόλυτα passivè vertere, quod etiam facit Syrus Interpres: sed hæc obiter. Scimus etiam nos absque Becano monitore, quod peccata abluerere non significet regere; scimus interim & hoc i. Quod Abluere non

non sit semper sordes totaliter ablueret. 2. Quod etiam verbum non in propriâ sed Metaphorâ significatione accipiatur, ut non necesse sit, ut ablueret peccata planè idem esse statuatur quod ablueret sordes corporis, sed significat remittere peccata, auferre illa ex conspectu Dei, delere ex Memoriali Dei, auferre Reatum; quam verò ablutionem concomitatur hic actus, ut simili tegantur peccata, nempe actus ille reliquus.

XI. De dicto ad Ebræos cap. 9. v. 28. monuimus in præcedente Disputatione, quod verbum Exhaurire non respondeat Græco fonti, sed vertendum sit: Christus semel oblatus; cùm Paranomasia hoc loco perelegans sit inter ωρα Φέγειν & αναΦέγειν, & per Allusionem ad holocausti ritum, Christus dicat sese obtulisse, & peccata sibi imposita in Altare Crucis sustulisse. Agit ergò Apostolus hoc loco de peccatorum expiacione, quæ facta est per mortem Christi, non de peccatorum remissione, quæ fit per Baptismum & justificationem. Quare si Beccanus hunc velit urgere locum, oportet concedat, Christum expiando peccata omnia, ab omnibus ea hominibus realiter abstulisse, sicque non tantum justificatos, sed etiam extremè impios, nunquam conversos, nunquam convertendos, contradicitoriè pios, justificatos & salvatos faciat & statuat, sicque discriminem omne inter justificatos & non-justificatos planè tollat. De Dicto Micheæ 7. v. 19. jam dictum est. Nimis ergò insulsa sunt phantasmatâ, quæ in Cerebro suo de allegatis Diætis fingit Beccanus.

XII. Sed progrediamur ad alterum membrum, quo Jesuita novam adfert Objectionem. Sic ergò pergit S. 15. At obiicit Calvinus illud Psalmi 31. **Beati quorum remissæ sunt iniquitates, & quorum tecta sunt peccata.** Hinc confici vult, peccata, non tolli, sed tegi. Miror hominis ingenium. Citavi ego plurima Scripturae testimonia, quæ asserunt, peccata tolli. Calvinus unum citat tegi. Quero, an hoc unum illius contrarium sit, nec ne? Si contrarium est, cur Calvinus uni potius, quam pluribus acquiescit? An putas Scripturam in uno verum, in pluribus falsum asseverare? Si contrarium

rium non est, cur Calvinus afferit tegi peccata, negat tolli? cur non potius
fatetur, & tegi & simul tolli, cum utrumq[ue] dicatur a Spiritu Sancto, &
alterum alteri non repugnet? Hoc pulchre explicat Augustinus Enarrat. 2.
super Psal. 31. ex proportione vulnerum corporis, quā superius usi sumus. Vul-
nera corporis duobus modis tegi possunt, inquit Augustinus, primò ab ipso
vulnerato. Secundo à Medico. Vulneratus tegit ea pallio, non tollit:
Medicus Emplastro tegit, & tollit. Idem fit in peccatis. Tegi possunt, &
ab ipso peccatore, & a Deo; Peccator tegit, quando dissimulat, & quæ in-
tus in anulo latent, exterius non prodit; quo pacto sua texit Phariseus
Luc. 18. cum dixit: Non sum sicut cæteri hominū, raptiores, iniqui, adulteri.
Deus tegit, quando infusione Gratiae sanat, & tollit, quo pacto texit pec-
cata Publicani, qui descendit justificatus in domum suam. Quinam ergo
beati secundum Prophetæ testimonium? illinè, quorum peccata priori, an
quorum posteriori modo recta sunt? Videant Calvinistæ, quomodo beati esse
velint. Nos certè posteriori modo esse cupimus, ut etiam Augustinus loco
citato, cum ait: Deus ergo tegat vulnera, non tu. Nam si tu tegere vo-
lueris erubescens, medicus non curabit. Medicus tegat & curet, empla-
stro enim tegit. Sub tegmine Medici sanatur vulnus, sub tegmine vulne-
rati celatur vulnus. Hinc patet, alio modo tegi peccata secundum Catho-
licos; alio secundum Calyinum. Catholicæ docent, tegi per internam
infusionem gratiae & Sanctitatis, quā non modo teguntur sed etiam sanan-
tur. Calvinistæ docent, tegi per externam Christi justitiam, fide pecca-
toris apprehensam, qua teguntur quidem, sed non sanantur.

XIII. Initio miratur Becanus adversarii sui ingenium;
cum nos potius mirari cogamur tam jejunam responcionem
tanti Magistri in Papatu: qua sibi imaginatur, Dictum hoc,
tanquam contrarie sive contradictoriæ oppositum cæteris, ad-
duci. Ubi enim dicit vel Calvinus, vel nos, hoc Dictum Psal.
32. v. l. & quidem unicum illis multis allegatis contrarium esse;
vel etiam Scripturam in uno verum, in pluribus falsum asseve-
rare; vel quæ etiam necessitas nos constringet, ut illud statue-
re cogamur, licet verum hujus & illorum Dictorum sensum
retineamus? Objicit, inquit Becanus, omnino objicit Calvi-
nus, & nos quoque objicimus: sed cui? Scripturæ? absit;
non enim nobis vel inimica vel contraria est; sed tibi, Becane
& tuis

& tuis Jesuitis objicimus, qui vestris falsis & absurdis glossis
Sacrae Scripturæ verum & genuinum sensum tollitis, & alienum, perversum & mendacem affingitis. Nec est, ut nos urgeat Jesuita, ut fateamur utrumq; dici à Spiritu Sancto : & tegi & tolli peccata. Omnipotens, ut utrumque dicit, sic & nos utrumque sine ulla contradictione retinemus & defendimus, ut modò satis claris ac manifestis argumentis est explicatum & demonstratum : nempe dicimus, tolli totum peccatum ex Memoriali Dei; tolli secundum partem à nobis, nempe quoad reatum, reliquum tegi. Et sic sine ulla contradictione utrumque verè dicit Scriptura, & nos cum ipsa, peccatum & tolli & tegi.

XIV. Tantum quoque abest, ut nobis contradicat Augustinus, & quidem illo ipso allegato Dicto, ut per omnia nobiscum consentiat, & nostram sententiam miris modis stabiliat & confirmet. Certè homo non potest regere sua peccat, nisi id fiat hypocrisi, quæ est abominatio coram Deo: ideo necesse est, ut Deus illa regat. Hoc dicit & confirmat Augustinus: non vero, Deum in Baptismo & justificatione totaliter tollere; vel Tegere spiritualis hujus Medici, esse tollere; alias enim sibi contradiceret, quippe qui aliis in locis expressè tradit; peccata in Baptismo remitti, non ut non sint, sed ut non imputentur. Ergo Deum utrumq; facere affirmat, & regere peccata, & tollere, sed quomodo Jesuita? docebimus, tu disce: Deus in justificatione imputata Justitiæ Christi, tanquam salutari emplastro, regit actum & essentiam peccati in nobis habitantis, tollit autem simul reatum, & per subsequentem Renovationem tollit pedetentim ipsum actum, donec tandem per mortem totaliter interest, & ab homine auferatur, homoq; omnium peccatorum purus resurgat. Seminatur enim in corruptione, resurget in incorruptibilitate: Seminatur in ignominia, resurget in gloria: eminatur in infirmitate, resurget in potentia; seminatur corpus animale, resurget corpus spirituale, 1. Corinth. 15. vers. 44. & 45. Spirituale igitur corpus perfectè habebimus post resurrectionem. Nam (ut in sequentibus portò

tradit Apostolus) ut corpus nostrum est animale per generationem ab Adamo primo: sic idem sit spirituale per regenerationem à Christo quidem in hac vita inchoatam, complendam verò in resurrectione Justorum, quæ ipsa quoque hoc nomine παλιγγενεσία seu regeneration dicitur, Matth. 19. v. 28.

XV. Atque hæc quoque est ipsius Augustini sententia, lib. 2. de Peccat. Original. cap. 39. tom. 7. Obesset, inquit, ista carnis concupiscentia etiam tantummodo, quod inesse, nisi peccatorum remissio sic prodebet, ut quæ intus est & nato & renato: nato quidem ut inesse & obesse, Renato autem inesse quidem, sed non obesse possit. In tantum enim obest natus, ut nisi renascantur, nihil possit prodesse, si nati sint de renatis. Manet quippe in prole, ita ut reatum faciat originæ vitium, et jam si in parente reatus ejusdem vitii remissione ablutus est peccatorum, donec omne vitium, cui consentiendo peccatur. Regeneratione nostrisimā consumatur: id est, ipsius etiam renovatione carnis, quæ in ejus resurrectione futura promittitur, ubi non solū nulla peccata faciamus, sed nec habeamus ulla desideria vitiosa, quibus consentiendo peccemus, &c.

XVI. Quod autem dicat Augustinus, Deum tegere, quando infusione gratiae sanat; tum per Infusionem nihil aliud intelligit, quam communicationem fidei apprehendentis Justitiam Christi, quam Spiritus per Verbum in nobis operatur, & sic quasi infundit. Fides enim non est omnium, 2. Thess. 3. v. 2. & cuique partitur Deus mensuram fidei, Rom. 12. v. 3. quippe quæ fit quidem in homine, non verò ut cætera bona opera ab homine, utide illâ disputat Augustinus, tom. 2. lib. Epistolatum Epist. 105. mihi p. 462. Ejus verba allegavimus supra Disp. 4. th. 25.

XVII. Et nullum omnino dubium est, si Dicta Augustini diligenter conferantur, hanc ejus esse sententiam, nempe remanens malum in Sanctis esse verè peccatum: qui toties dicit, remitti hoc peccatum in Baptismo, quod ad Reatum attinet: sicut etiam inter alia ex loco allegato intelligitur, & quidem cap. 40. ubi ait: Regeneratus non regenerat filios carnis, sed generat & per hoc in eos, non quod regeneratus, sed quod generatus est, trahit. Sic igitur siue reus infidelis, siue absolutus fidelis non regenerat absolutos:

uterq; 33



uterj, sed reos. Addit etiā alibi; inchoari renovationē, sed tamē reliquū manere peccatū. Nā hoc verbo sāpē utitur, nt tr. 41. in Ioh.

Non regnet peccatum in vestro mortali corpore.

Non ait, non sit, sed, non regnet. Quamdiu vinis, peccata necesse est esse in membris tuis, saltem illi regnum auferatur, non stat, quod jubet. Hic certē de renatis loquitur, deque peccato in eis remanente, cui regnum in homine concedendum minimē est. Et lib. 5. contra Julianum, tria huic morbo tribuit, etiam in Renatis, quod sit peccatum, quod sit pāna peccati, & caussa peccati. Verba hāc sunt: *Concupiscentia carnis, aduersus quam bonus concupisicit spiritus, & peccatum est, quid inest illi inobedientia contra dominatum mentis; & pāna peccati est, quae redditua est meritus inobedientiae; & caussa peccati est, desertione consentientis.* Sic quoque dicit in lib. de Baptismo Parvulorum: *Lege peccati, quod licet jam remissum est, inventestate tamen carnis manet.* Item in Concione Domini in monte, inquit, *Etsi deleta est iniquitas, nondum tamen finita est infirmitas.* Adhuc dicas: *Dimitte nobis debita nostra.* Sentit igitur, Sanctis opus esse ipsius vitii condonatione.

XIX. Quare patet quidem ex Augustino, alio modo peccata tegi secundūm Pontificios, & alio secundūm Lutheranos: verūm Augustinum facere cum Pontificiis, statuentibus, peccata tolli per internam infusionem gratiæ & sanctitatis, quā non modō tegantur, sed ita quoque sanentur, ut penitūs tollantur; id verò ex verbis Augustini non patet, imo, ut quilibet videt, contrarium ex ipsius testimoniis esse in aprico, ipsumq; pro nostra sententiā loqui & pugnare. Quandoquidem Calumnia Becani est, nos Lutheranos statuere, peccata per meritum Christi non sanari; ut ex haec tenus disputatis est manifestum.

XIX. Sequitur nunc §. 16. tertium responsionis Beca-
neā membrum, quo novam adducit objectionem. Sic enim
pergit: *Quid porrò dicent ad illud Apostoli Ebraor. 4. vers. 13.*

Omnia nuda & aperta sunt in oculis DEI? Quero enim; cūm peccator legit sua peccata per justitiam Christi, fide ap-
prehensam, & sic venit in conspectū Dei, an Deus videat peccata ejus, nec nē?

If videt, quomodo in conspectu ejus tecti sunt? si non videt, quomodo verum est illud apostoli: Omnia nuda & aperta sunt in oculis ejus? Nisi dicat Calvinus, Isaaco similem esse Deum. Venerat ad eum filius ejus Iacob, petiturus benedictionem: sed ita venerat, ut pilosus pellibus tectus & obvolutus videretur esse Esau. Quid vero Pater? agnoscit filium, nec ne? Gen. 17. v. 22. Vox quidem, inquit, vox Jacob est, sed manus, manus sunt Esau. Ita planè contingit Deo Calvinistico. Venit ad illum homo peccator, qui tectus & obvolutus pallio Christi, benedictionem petit. Quid porro ille? Vox quidem, inquit, vox peccatoris est, sed pallium, pallium Christi est.

X X. Primùm pueriles ineptiæ sunt, quæ ex vers. 13. cap. 4. ad Ebraeos colligit Becanus: quasi vero hæc nostra mens sit, peccata tegi Justitia Christi imputata, ut illa Deus planè non videat, hoc est, planè nesciat, planè ignoret. Hoc sane ne per sebrem nobis in mentem venire potuit. Quomodo enim ille, qui omniscius est, qui intimos cordis recessus introspicit & scrutatur, proindeque omnes, omnium hominum, sive renati sint sive non-renati, cogitationes melius novit, quam ipsi homines, aliquid ignorare poterit?

X X I. Nequaquam etiam ejusmodi intellectum verba hæc Tegi & Videre, ita usurpata, admittunt. Errat Jesuita, & ignorat Scripturam, cuius phrasin non intelligit: proindeque vitium Syllogisticum committidens μὴ παρεῖ τοῦ, crassa absurdia insert, quæ neque ex nostra sententia, neque ex sensu Scripturæ vero, sed tantum ex stulta ipsius opinione conficiuntur. Primùm ergo in verbo Tegi est Metaphora, quâ retrospicitur in Vetus Testamentum ad operculum propitiatorium: quod nimis Christi innocentia, & perfecta obedientia nobis applicata, tanquam stola candidissima & operculo propitiatorio tegantur universa nostra peccata, ut ira & ulciscens DEI justitia illa non videat, hoc est, in ea animadverteat, hominemq; propter illa reum æternæ damnationis agere queat. Deinde de verbo Videre sciendum, quod illud, quando Deo tribuitur, in Sacris Literis significet aliquid agere, quippe Johova cognitio.



gnitio nequaquam otiosa est. Hinc cùm Deus dicitur videre peccata Psal. 10. v. 14. dicitur ea punire. Non videre itaque peccata nostra dicitur Deus, quod ea non puniat, propterea, quod pro ipsis Christus in ara crucis satisfecerit, & satisfactio illa nobis per fidem sit applicata. Quia igitur pro nobis ad expianda peccata nostra laboravit, mortuus & punitus est Christus, in nobis cum merito suo sanctissimo habitans per fidem; justitia DEI, licet peccatum adhuc hæreat in membris nostris, non requirit denuò à nobis pœnam, & per eam satisfactionem; & sic ea quasi non videt.

XXII. Apparet hinc, quod Dilemma nexus à Becano, nihil minus, quam Dilemma sit. Nam utrumque verum, & quod Paulus dicit cùm Psalmo, justificatus tecta esse peccata; & alterum ad Ebræos, omnia nota esse, apertosq; oculos Domini. Non videt illa, non puniendo; & videt illa, tolerando, & ita dirigendo, ut virtute Spiritus Sancti supprimantur, & dominio preventur. Non ergo videt illa Justitia sua peccatis irascente, illi enim merito Christi tecta sunt: videt autem omniscientia, bonitate ac lenitate, ut dictum.

XXIII. Nulla ergo necessitas nos cogit, ut dicamus, Deum similem esse Isaaco, ad quem venit filius Jacob, pilosus, pellibus tectus & obvolutus, ut videretur esse Esau: ita similiter Deus deceptor tegmine Christi, peccatorem pro justo accipiat. Ut solet sophista hic, ubique sumit similia, ac si per omnia similia, & sic plane idem essent. Concedimus, quod hæc in aliquo, sed minimo convenient, in maximo vero, & quidem in illis, in quibus convenientiam & similitudinem ponit Jesuita, sint dissimilima. Similitudo hæc est: quod, ut Jacob induitus, & tectus veste fratris accedit ad patrem, & sic in aliena veste accipit benedictionem; Ita homo peccator induitus veste Christi fratris accedit ad patrem, & benedictionem accipit. Hoc vero modo tantum similitudo est inter Jacobum & peccatorem, non inter Isaacum & Deum, ut singit Jesuita ex nostra sententia: quippe qui in nullo conferri possunt. Siquidem maxima in cæteris omnibus est dissimilitudo. Nam primo vestis,

quā regitur Jacobus, est vestis propriè dicta, & corporalis : ve-
stis, quā regitur peccator, non est vestis, sed justitia Christi,
tantum vesti comparata. Secundò, obiectio Jacobi erat pro-
pria, peccatoris est tantum metaphorica, & per similitudinem
sic nuncupata. 3. Jacob regitur non ab ipso patre, à quo bene-
dictionem accipit; ideoq; ignorare poterat pater, tectum illum
esse Jacobum: peccator autem regitur ab ipso patre suo cœle-
sti, a quo benedictionem accipit; ideoq; Deus regens nō potest
ignorare, accedentem tectum esse peccatorem. 4. Jacob non
accessit ad patrem, ut miser peccator, sed ut filius & hæres pa-
tris: Homo accedit ad Deum ut miser peccator, & cuius nulla
est hæreditas. 5. Vestis, quā regitur Jacob, non erat vestis ju-
stitiae neque Mediatoris sui, sed hominis nequam: At vestis, quā
regitur peccator, est vestis justitiae, Mediatoris sui, sanctissimi-
que Dei & hominis. 6. Jacob postquam à matre tectus & ve-
stitus est, accedit ad patrem & postquam tectus est, auferit bene-
dictionem: peccator non, postquam ab alio tectus & vestitus
est, sed quando jam regitur & vestitur, ab eo ipso, quō vestitur,
imò per ipsum tegmen, & virtute ejus accipit benedictionem,
non ab alio sed ab ipso regente & vestiente. 7. Jacobus strude &
astutia, à matre ex cogitata, præripit fratri benedictionem: Hic
in benedicendo peccatore nulla est fraus, nulli etiam quidquā
præripitur. 8. Denique omnia in vestiendo Jacobo, inconsul-
to & nesciente patre facta sunt; proindeq; per ignorantiam fa-
cti contulit benedictionem Jacobo: Verū omnia, quæ ad
tegendū peccatorem pertinent, imò ipsa actio tegendi, ejus-
que modus fructusq; ita sunt ab ipso Deo regente decreta, ita
ordinata, imò effecta & in suum finem & fructum directa.

X X I V. Manifestum ergo & luce meridianâ clarus est,
quod ex nostra sententia 1. nullo modo in hisce actionibus con-
ferti queant Deus & Isaacus: nullo etiam modo persona Jacobi
& peccatoris. 2. Quod impiè Esau cum Christo, ut & impiè ac
blasphemè vestis Esavi cū justitia ac merito Christi, & cōsequēter
quod impiè obiectio Iacobi & objectio peccatoris cōferantur.
3. Quod itolidè collatio benedictionis factæ ab Isaaco, & præ-
stite

fitæ à Deo &c. instituatur. 4. Quare etiam Deus pater testum habentem peccata non ita, ut singit Jesuita, alloquitur. Quando enim homo testa habet peccata, non amplius ipsum pater pro peccatore habet, nec peccatorem nominat; sed ut ipse reconciliatus & pater factus est: sic etiam illum pro filio agnoscit, ut filium amat, filium nominat. *Quotquot enim receperunt Christum, dedit eis potestatem filios Desieri, his, qui crediderunt in nomine ipsius, Joh. i. v. 12. & Job. iij. v. 15. dicit Christus, jam non dicam vos servos, quia servus nescit, quid faciat Dominus ejus: Vos autem dixi amicos, quia omnia, quæcumque audiri à patre meo, nota feci vobis.*

X.XV. Pergamus nunc cum Becano ad tertiam & ultimam partem hujus controversiæ, quæ quæritur: *An peccata non imputentur?* Ubi quinque potissimum facit Becanus: primum præmittit connexionem partis præcedentis cum hac ultima consequente: 2. Secundò inquirit in sensum, dicitq; quod illa imputatio, neque quoad culpam, neq; quoad pœnam, vera esse queat. 3. In specie probat, peccata non imputari ad culpā, falsum esse. 4. Peccata non imputari ad pœnam, itidem falsum esse. Et 5. annexit generalem conclusionem. De singulis ordine.

X.XVI. Primum est sect. 17. Forte occurrunt adversarii, non propriè, sed metaphoricè se loqui, cum ajunt, peccata tegi, seu occultari, ne appareant in conspectu Dei; & perinde valere, ac si dicant, peccata à Deo non imputari. Hoc jam examinabo.

X.XVII. Imò sic excipimus, nempe metaphoricam locutionem esse hanc, *tegi peccata*, idque probavimus; uti & demonstravimus, malè progreedi argumentando à sensu metaphorico ad proprium: Et contra. Tegi autem peccata, interpretari scripturam per non imputari, ex multis locis est manifestum: ut 2. Sam. 19. v. 19. & 20. Psalm. 32. v. 1. & 2. Ad Rom. 4. v. 7. & 8. 2. Cor. 5. v. 19.

X.XIX. Ad alterum progreditur Becanus §. 18. Idque prioribus verbis proponit. Igitur *tertia pars erroris ipsorum* est, peccata, quæ per justitiam Christi testa sunt, nobis non imputari: vel, ut Parens interpretatur, peccata manere quidem in homine, tolli tamen in judicio,

judicio DEI. Hoc dupliciter intelligi potest: Primo, peccata non imputari ad culpam: vel, secundum Pareum, tolli in judicio DEI, quoad culpam. Secundo, non imputari ad pœnam; vel cum Pareo, tolli in judicio DEI, quoad pœnam.

XXIX. Respondemus, esse equivocationem in voce culpa. Aut enim significat ipsum peccatum, sive crimen, quomodo illam definiunt Jurisconsulti, quod sit deviatio à legi dispositione: vel ut Bartulus l. Quod nerva. 32. ff. depositi & contra. Culpæ est deviatio ab eo, quod bonum est, quod per diligentiam hominis potuit provideri: Aut accipitur pro reatu, id est, offensione DEI, & hanc sequente maledictione: Quæ non est ipsa *āvicia*, neq; differentia specifica, essentiavè peccati: sed est illam sequens proprium. Illa enim peccatum constituit; hæc constitutum sequitur. Priori modo si accipiat Beatus, tunc verba ejus sunt mera *ādōλεξια*: Quando enim dicit, peccatum non imputari ad culpam; idem est, ac si dicat, peccatum non imputari ad peccatum. Quod interim in sano sensu concedere possumus. Quod enim non imputatur, id non tollitur: si ergo peccata non imputantur ad peccata, sive ut peccata, intelligitur, quod peccata quidem maneat, sed non imputentur, & sic duntaxat tegantur. Si posteriore modo, tunc coincidit ejus explicatio cum hac propositione: peccata non imputari ad reatum. Neque dum facit ad propositum. Nam de peccato in nostris membris hærente dicimus, quod non imputetur: De reatu vero, tanquam affectione peccati, concedimus, quod planè tollatur.

XXX. In posteriori ergo significatione, quando culpa sumitur, statuimus, in justificatione à persona tolli utrumque, & culpam & pœnam; Quandoquidem utrumque in se suscepit & expiavit Christus, uti de ipso prædixit Esaias, cap. 53. vers. 4, 5. Tota autem satisfactio Christi, ejusque meritum per fidem in justificatione nobis applicatur, ut nihil omnino maneat reliquum, neque de pœna, neque de culpa, sive reatu. Idque docuit nobiscum Augustinus; quando reatum peccati per bapti-
smum tolli tradidit, peccatum autem manere affirmavit.

31. Ter-



XXXI. Tertium, quod, peccata non imputari quoad culpam, probare conatur Jesuita, his continetur verbis: Prior sensus, quibuscunq; verbis exprimatur, falsus est. Et refellitur primò, quia si peccata verè manent in homine quoad culpam, quomodo possunt non imputari ad culpam? id est, si homo in se retinet reatum culpæ, ita ut sit verè culpabilis, peccator, & injustus; quomodo pro tali non habeatur in judicio DEI? Judicium DEI est secundum veritatem, inquit Apostolus Rom. 2.v.2. At quomodo erit secundum veritatem, si Deus non judicat, sicut res in se est? si culpam, quæ revera culpa est, censet non esse culpam? si hominem, qui sordidus & spurcitus plenus est, pronunciat esse justum, mundum & uncontaminatum? Hæc mysteria Calvinistica superant captum Christianæ simplicitatis.

XXXII. Primum ergo hinc considerandum est, quod dicit Beccanus: Si peccata verè manent in homine quoad culpam, quomodo non possunt non imputari ad culpam? id est, si homo in se retinet reatum culpæ, ita ut verè sit culpabilis peccator & injustus, quomodo pro tali non habeatur in judicio DEI? Qui enim in reatu est propter culpam, paenitentia est.

XXXIII. Hoc ergo ut recte explicetur, quomodoque id fieri sine contradictione possit, recte doceatur, primum tenendum est, quod per culpam nihil aliud intelligat Beccanus, quam reatum culpæ (quippe sic loquitur) hoc est, peccati. Deinde hæc distinctio est accurate observanda, quā distinguitur inter reatum peccati, & reatum personæ, in qua est peccatum. Peccatum semper suum in se reatum habet, id est, per se offendit DEUM, & damnatur semper: persona vero, quia in se, tanquam in subjecto, peccatum habet, per & propter peccatum accusatur, nisi fiat remissio peccatorum, & sic reatus à persona tollatur. Quocirca licet peccatum cum suo reatu meneat in persona justificata, non tamen manet reatus personæ: Quandoquidem per remissionem Deus peccato offensus peccatum remittit, quō tollitur offensio damnatioque, & sic reatus à persona, hoc est, per remissionem efficitur, ut peccatum in se damnable, injustum, DEO exsum (sic suum reatum habens & retinens) perso-

nam non amplius faciat ream, iustam, DEO exosam & dam-
nabilem.

XXXIV. Quocirca in remissione illa peccatum reatum ratione personæ planè amittit, neque hoc tantum, sed etiam ipsum regitur, ne amplius appareat in conspectu DEI propitiis, nec imputetur possessori reconciliato Deo per Christum.

XXXV. Quando ergò reatus hic ita à persona sublatus est, persona quidem DEO placet, peccatum tamen non conciliatur DEO, sed internam suam essentiam & naturam retinet. Forma enim ac essentia peccati nunquam fit justitia: Sed duntur taxata aufertur formalē alterum, nempe reatus à materiali secundo sive subjecto substrato: Quod ut est in ratione subjectiva peccati proprium, nempe quod in nullo subjecto esse potest, quin illud reum efficiat: Sic quoque ex permutatione rationis subjectivæ aufertur & tollitur. Christus enim Servator noster ferendo illud, hoc est, reatum illum nostrum in se, ut in subjectum, materialeque substratum sustulit, qui exactè pro eo satisfecit, idque pro nobis, cum ille, in se integer & justissimè sanctus, peccati labem in se non attraxit.

XXXVI. Patet inde, quomodo formale illud secundum, nempe reatus, tollatur, manente interim ipsā peccati formā absolutā, in se DEO improbatā, & materiale subjectum justificetur, sanctaque integrati restitui incipiat.

XXXVII. Certum igitur est, quod homo justificatus, licet in se subjectivè habeat peccatum, quod DEO per se exosum est, non tamen ipse propter eā DEO sit exosus: Reatus enim à persona per remissionem est ablatus, cum illum (ut diximus) in se recepit Christus, ac suo merito justitiae divinæ satisfecit, contraque homo justificatus meritum illud in se fide applicatum habet: Ergò etiam non amplius homo in conspectu DEI est culpabilis & iustus, ut scribit Beccanus, sed justissimus, aliena verò justitia, nempe Christi filii DEI.

XXXIX. Quomodo etiam in judicio DEI pro iusto haberi possit, qui in illo ipso judicio DEO reconciliatus & remissa

remissa habens peccata se sistit, & sancte non ita simpliciter remissa habens peccata, sine satisfactione justitiae & legi DEI: quippe cui omnino satisfactum est $\lambda\upsilon\tau\eta\omega$ a Christo pro justificato soluto: Ergo ad hoc $\lambda\upsilon\tau\eta\omega$ respiciens lex, nihil amplius invenit in homine justificato, propterea quod hominem possit accusare vel damnare. Ubi enim satisfactio est praestita, ibi nullum amplius est debitum, sive satisfactio jam praestita sit a debitore ipso, sive a sponsorre; tamen praestita est, & eam repetere lex non potest ab eo, pro quo satisfactio praestita est. Quando enim sponsor pro debitore satisfecit, creditor nullo jure denuo solutionem a debitore poscere potest.

XXXIX. Concedimus ergo libenter, judicium DEI secundum veritatem esse, Rom. 2. quod autem sibi imaginatur Beatus, si hominem justificatum fide sine inherente justitia, justum pronunciet DEUS, ipsius judicium veritatem non esse, crassissimus error est. Quippe Deus quidem videt peccatum haerens adhuc in istiusmodi homine: sed illud non attendit, quia solutum & pro eo satisfactum est. Videt etiam reatum in peccato; sed videt quoque; illum non esse reatum personae; ideoque peccatum quidem non justificat, sed hominem justificat, propter peccati, quod in se habet, remissionem, justitiaeque Christi imputationem: oditque peccatum: quo circa etiam odium in ipso homine justificato excitat, ut contra illud pugnet, ejus vires subinde per novam obedientiam, infringat, donec per mortem totum consumatur & annihiletur.

XL. Quidni ergo judicet DEUS rem, ut in se est? Nam etiam si peccator non justificetur per inherenterem, sed per imputatam justitiam Christi, tamen revera per justitiam, eamque absolutè perfectam justificatur. Sequiturne inde, ut sibi Beatus imaginatur, peccatum censi justitiam, aut culpam judicari innocentiam? nequaquam vero. Peccatum enim in hac justificatione manet peccatum, & nunquam justificatur; culpa manet culpa, & nunquam non culpa pronunciatur: Homo

verò peccator justificatur, quia ipsi iustitiae Christi per fidem applicatur: Meritum Christi, qui pro ipsis peccatis satisfecit imputatur. Quando ergo peccator justificatus pronuntiatur justus, non ita simpliciter dicitur in se, sed in Christo, quia iustus judicatur & irreprehensibilis in justo iudicio & conspectu DEI propterea, quod, licet adhuc in se habeat peccata, non tamen propter illa lex divina ipsum accusare & damnare queat, sed iuste absolvat, cum sit in Christo, & pro peccatis sibi satisfactum, a Christo lex sentiat. Quare si lex ejusmodi hominem injustum ac damnandum pronunciaret, justificatum non justificatum, redemptum non redemptum, a reatu peccati absolutum non absolutum &c. statueret: proindeque satisfactionem dolosè negaret, & sic non diceret, ut res est, non æquum, sed iniquum statueret, & postularet: Quo æterna DEI iustitia mutaretur in iustitiam. Quæ sane iustitia Papistica superat captum Christianæ simplicitatis.

XLI. Quartum nunc sequitur in discurso Becani: ubi se. 19. sic progreditur: secundò refellitur ex illo Sapientia 14. v. 9. **Odio sunt DEO impius, & impietas ejus.** Hic quero ex Calvino, An Deus oderit peccatorem, quia palliò Christi suam nequitiam tegit? Si odit, certè propter culpam odit. **Quomodo ergo non imputat illi peccatum ad culpam?** **Quomodo judicat culpæ expertem & innocentem?** **Quomodo favore illum prosequitur?** **Quomodo inter filios & hæredes ascribit?** Si non odit, quomodo verum est, quod ait scriptura, **odio est DEO impius?** Eadem questio est de impietate. Vel enim Deus odit impietatem, qua Christi ueste regitur, vel non odit: Si odit, quomodo in ejus iudicio sublata est? Si non odit, quomodo dicit scriptura, odio est DEO impietas? Sanè si rationem spectes, impossibile est, peccatum manere in homine, quod Deus non oderit. Est enim inter utrumq; naturalis repugnancia. Deus naturâ suâ bonitas infinita est: Peccatum naturâ suâ malitia est. At fieri nequit, ut malitia non aduersetur bonitati infinite, aut bonitas infinita non repugnet malitiæ cuicunq;. Hoc alibi fatetur Calvinus, nam lib. 3. Instit. cap. 23. sect. 4.

sect. 4. de DEO sic ait : *justitiam naturaliter amat, injustitiam aver-
sat.*

XLI. Primum allegatum dictum, quod attinet, ex
illo nihil omnino probare quit pro sententia sua Becanus.
Non enim Sapientia loquitur de peccatore agente veram
pœnitentiam, & cui remissa sunt peccata : Sed de impi, in
quo regnat peccatum, ideoque neque resipiscit, neque pœ-
nitentiam agit, neque remissionem peccatorum vel deside-
rat vel acquirit ; sed aversus à DEO peccatis delectatur, a-
deoque securè in delictis suis vivit, & nihil aliud facit,
quam ut peccet, & Deum offendat. De ejusmodi injustis
peccatoribus, hoc est, impiis, agit Paulus, i. ad Corinth. 6.
vers. 9, 10. Distinguendum ergo est inter impium, & pecca-
to infectum ; sive peccatorem : Omnis quidem impius est
peccator : Sed non contra, omnis peccator est impius. Sic
justificatus peccatō infectus est, sed impius non est.

XLIII. Quando ergo Becanus querit ex nobis : *An
Deus oderit peccatorem ? Negamus, Deum peccatorem, ut
talem, simpliciter odisse : Contrarium enim testatur Pau-
lus ad Rom. 5. vers. 8. Commendat autem suam Charitatem
erga nos Deus, quod, cum adhuc essemus peccatores, Christus pro
nobis mortuus est. Et versu 10. Cum inimici essemus, reconciliati
sumus DEO per mortem Filii. Ezech. 33. vers. 11. Vivo ego, nolo
mortem peccatoris, sed ut convertatur & vivat. Johan. 3. v. 6.
Sic Deus dilexit mundum, (id est, peccatores,) ut Filium suum
unigenitum daret. Luc. 16. similitudinibus declarat Christus,
talem in se affectum esse erga peccatores, qualis est pastoris
erga ovem perditam : magisque sollicitum esse de uno pec-
catore, cui interitus & damnatio imminet, quam de multis
justis, qui à DEO pascuntur, foventur & gubernantur. Ideo inquit : *Relinquit pastor, habens centum oves, nonaginta no-
vem in deserto, & vadit ad illam quæ perierat, donec inveniat. Et
gaudium erit in cœlo super uno peccatore resipiente, magis quam su-
per nonaginta novem, qui non indigent pœnitentia.**

XLIV. Quare, quando secunda vice querit Jesuita: si non odit peccatorem, quomodo verum erit, quod scriptura ait: *Odio est DEO impius?* Respondemus: Ut illud, quod jam probavimus, verum est, sic hoc quoque longe verissimum est, & in æternum verissimum manet. Utrumque enim scriptura dicit, quæ mentiri nescit. Repetimus ergo nostram distinctionem inter peccatores pœnitentes & impœnitentes: Hi ergo, quia in peccatis perseverant, media salutis negligunt & contemnunt, beneficia Christi oblata pedibus conculeant, sunt, quos una cum impietate sua odit Deus: Et hi ipsi sunt, qui à Sapiente dicuntur impii, & ipsorum cogitata ac facta impietas. Atque hos iustificari, ut tales, & quandiu tales, negamus.

XLV. Ut porro concessimus, sic utraqne manu jamnum largimur, inter Deum & peccatum naturalem repugnantiam esse, neque fieri posse, ut malitia non aduersetur bonitati infinitæ, aut bonitas infinita non repugnet malitiæ cuicunque. Sed distinguat Jesuita inter peccatum & peccatorem: Homo, licet peccator sit, peccatum tamen necquam est: Quare etiam non dicimus, peccatum reconciliari DEO, sed peccatorem: Non peccatum recipi in gratiam, sed peccatorem, & peccatum tegi propter reconciliatum peccatorem asserimus, non propter reconciliatum peccatum. Odit enim Deus peccatum semper, et jam tūm, quando peccator ipsi reconciliatus est; & quia peccator DEI amicus factus, illud ipsum quoque peccatum, quod adhuc in ipso est, odio summo prosequitur, ei resistit, ne dominium arripiat, resistendoque imminuit, donec tandem per mortem hominis totum tollatur, & homo sine omni iabe ac peccato etiam habitualiter resurgat justus & Sanctus.

XLVI. Assumit nunc Beccanus, posteriorem sensum, quod asserit, *peccata tantum tolli quoad pœnam*, sic ergo proreditur sect. 20. Posterior sensus, quia asserit, *peccata manere*

*manere in homine, tolli in iudicio DEI quoad
pœnam, æquè improbabilis est. Quinquam duobus modis ac-
cipi possit. Primo, ut Deus iudicet, hominem non esse dignum pœ-
na, qui reverā in se dignus est: Quod apertè pugnat cum illo Apostoli:
Judicium DEI est secundum veritatem.
Secundo, ut iudicet quidem, esse dignum pœna, statuat tamen, il-
lum non punire; quod partim verum, partim falsum est. Cūm
enim sint multa pœnarum genera, potest quidem statuere Deus, non
punire peccatorem quavis pœna, quam ipse meritus est, non tamen
statuere potest, nullō genere pœnae illum afficere. Annon pœna est,
& quidem gravissima, DEI odium sustinere? Hanc peccator, quam-
diu culpam in se habet, evadere non potest: neque in iudicio DEI
tollitur, nisi culpa ab homine auferatur.*

XLVII. Primū ergo, dicit Beccanus, peccata tolli in
iudicio DEI, accipi ita, ut Deus iudicet, hominem non esse dignum
pœna, qui reverā in se dignus est, atque id dicit apertè pugnare
cum illo Apostoli: *Judicium DEI est secundum veritatem.* Re-
spondemus, si Deus hominē ita simpliciter consideraret, sicq;
sibi & peccatis suis relictum inveniret, nunquam ipsum
pœna indignum pronunciaret, sed omnino secundum veri-
tatem judicans, ipsum damnaret. Sciendum itaque, quod
Deus hominem dupli modo considereret, 1. in se, ut est
peccator, 2. ut est in Christo, illique per fidem insertus.
Illo in statu quando & quamdiu peccator est, ut dixi, Deus
nunquam ipsum pœna indignum iudicat: Hoc vero mo-
do, & quando in hoc statu est, licet adhuc sit peccator, quia
Christi meritum pro peccatis illius satisfecit, hominiq;ue
applicatum est per fidem, non amplius pœnae adjudicari po-
test; Cum illam Christus pro peccatis ipsius ac debitis su-
stinet. Deus itaque secundum veritatem judicans, pec-
cata illa, quæ in filio punivit, ad Gal. 3. vers. 13. 2. ad Cor. 5.
vers. 21. non denuò in peccatore punienda esse, sed ei remit-
tenda, & sic gratis propter Christi pœnam satisfactoriam
condonanda esse statuit: Idque nequaquam est contra Apo-
stolum.

48. Alter:



XLIIX. Alter modus, quō dicit Jesuita, *nostri sententiam sumi posse*, est, ut Deus judiceret, peccatorem quidem dignum esse pœnā, statuat tamen, illum non punire. Omnipotē sic statuit, & quidem ut ipsius judicium sit & exerceatur simpliciter, secundum veritatem. Quandoquidem ita placuit misericordi simulacjusto DEO nostro, ut Christus innocens pro peccatoribus in mortem daretur & ipsos à morte liberaret : Si ergo hoc non pugnavit contra ejus justitiam, quomodo pugnabit, quod à morte liberatos, & propter mortem Christi à reatu pœnæ liberatos, à pœna absolvantur? Quid? Quod si aliter faceret, hominemque à morte liberatum rursus pœnæ mortis subjiceret, non secundum veritatem judicaret : Si enim hoc justitia, quæ semel in morte Christi acquiescendum esse statuit, exposceret, non justitia sed iniquissima iniquitas esset.

XLIX. Durum est, quod concludit Jesuita, *non posse Deum statuere, ut nullo genere pœnae peccator afficiatur* : Sed necesse esse, ut ad minimum DEI odium sustineat. Durum est, inquam, & perinde dictum: Deum non potuisse innocentem suum Filium pro peccatoribus in mortem dare : Et cum daret, iniquissime egisse. Hoccine est, Jesuita, tuæ stultæ rationis decempeda, infinitos Dei agros emetiri, Deumq; ipsum in ordinem redigere velle : Ut Deus illæsa justitia sua innocentem Filio suo non pepercit, sed pro nobis omnibus cum tradidit in mortem, ad Rom. 8. vers. 32. Effecitque, at is, qui non novit peccatum, pro nobis peccatum esset, atque sic nos, cum adhuc inimici essemus, sibi reconciliaret per mortem Filii, ad Rom. 6. v. 10. Ita quoq; potest illæsa justitia sua statuere ut nos peccatores propter eundem Filium suum, qui, ut propter offensas nostras traditus, sic propter justificacionem nostri excitatus est, Rom. 4, 23. justificemur, & à peccati reatu, sicq; ejus pœna, absolvamur. Imo si prius justè voluisse, & hoc tanquam injustum, non vellet, illud non justè sed injustè voluisse.

L. Quare licet peccatum ipsum nunquam reconciliatur Deo, tamen quia persona reconciliata est, & remissa habet

Habet peccata, non in odio amplius, sed in amore Dei est, & summe diligitur, non quidem in peccatis, sed in Dilecto, Eph. 2.
hoc est, in Filio Dei. Reatu enim a persona sublato, odium Dei
in ipsam amplius esse nequit.

L I. Alias libenter concedimus, quod non levis pœna sit,
sed longè gravissima, odium Dei sustinere : Siquidem illud omnes
cateræ pœnæ temporales & æternæ comitantur. Hoc ve-
rò peccatorem, quamdiu peccatum in se habet, evadere non
posse, sententia Beconi est, non Dei, qui longè clementior & be-
nignior, proindeq; longè aliter judicat, nempe omnibus illis,
qui Filium Dei accipiunt, hoc est, in ipsum credunt, dat digni-
tatem, ut Filii Dei fiant, Ioh. 1. v. 12.

L II. Sequitur ultimò conclusio hujus disputationis sect.
21. Patet ergo falsum esse, quod Calvinistæ docent, peccata manere in ho-
mene justificato, sed non imputari. At objiciunt illud Rom. 4. vers. 8.
Beatus vir, cui non imputavit Dominus peccatum.
Facilius est responsio. Deus non imputat peccatum, quando ablatum est, quod
libenter concedimus. Imputat tamen, quando ablatum non est, ut pau. d' ante
probavi. Apostolus ergo vocat illum beatum, cui peccatum, quia jam re-
missum & teatum est, non imputatur. Sic enim ait : *Beati, quorum
remissæ sunt iniquitates, & quorum tecla sunt
peccata. Beatus vir, cui non imputavit Dominus
peccatum.* At cur utitur tot vocabulis ? Quia in peccato tria spectari
possunt : Primo, quod sit offensia Dei. Secundo, quod sit macula & fidelitas
anima. Tertio, quod annexum habeat reatum pœnæ æternæ. Beatus ergo
est, cui offensia à DEO remittitur, cuius macula & fidelitas tegitur, cui rea-
tus æternæ pœnæ non imputatur. Hac autem non contingunt, nisi peccatum
aboleatur, & extinguitur.

L III. Judicium sit penes & equum ac veritatis amantem le-
ctorum, non penes perversum Beconum vel Jesuitam,, qui non
Dei veritatem, sed duntaxat Papæ autoritatē quærit & curat.
Qui Spiritus S. ductum sequi velit, nobiscum concludat neces-
se est, per justificationem peccatum in hac vita non penitus tol-
li & extingui: sed ex parte manere, non autem imputari.

LIV. Ad locum Pauli Rom. 4. vers. 8. facilem esse, addit, responsionem : Est sane, si concedamus Bécano suum hypothesis, nempe non posse remissionem peccatorum separari à donatione justitiae, nimirum inherenteris. Hinc enim ille cum Bellarmino & ceteris somnias semper. Verum ubi hæc Paulus ? Imò contradicit : *Justitiam imputari sine operibus* : Proindeq; adhuc contrariū dicit, nempe peccatum non imputari, quando nondum ablatū est. Nam versu præcedente septimō non dicit Paulus : *Beatus qui non habet peccatum* : vel, *cui sunt multa opera bona, sed beatus, cui remissæ sunt iniquitates*. Solemus autem remittere iis, qui non sunt solvendo. Non enim remittit creditor, cui numeratum est, sed qui nomen sponte inducit. Et hinc porrò versu octavo adit ex Davide : *Beatus vir, cui non imputavit Dominus peccatum*. Quippe verbis illis expressè pronunciat, peccata etiam ipsa non imputari. Quomodo jam conveniat Deum pœnam exposcere eorum, quæ non imputet ? Manet ergo salva nobis pulcherrima sententia : *Justificari fide, qui gratuita peccatorum remissione coram Deo purgatus sit*. Quod enim tegitur, non appetet, non, quod non sit, sed quod conjectum sit.

LV. Tandem committit Bécanus ultimis verbis fallaciam causæ. Trinæ enim repetitionis a Paulo & a Davide adhibitæ, causa non est illa, quam adfert Jesuita : Quandoquidem illius ne minimum quidem indicium largitur contextus : Nihil enim inibi expressè & distinctè de offensa Dei, de macula & fœditate animæ, & de annexo reatu. Fictum ergo est consequens Bécani. Institutum verò ac propositum Apostoli est, probare, neminem justificari ex operibus, ut neque Abraham v. 2. sed ei, qui non operatur, credit autem in eum, qui justificat impium, imputari fidem suam pro justitia : proindeq; justificationem nostri consistere in gratuita remissione peccatorum.

LVI. Ad hoc probandum adducit Paulus testimonium ipsius Davidis ex Psalm. 32. Et ut illud adducit, sic quoque de nulla alia explicat. Interim phrasis Spiritus S. observanda est. Quod enim Paulus dicit, *justitiam nostram coram Deo*, id Psalmus nominat beatitudinem : Paulus itaq; modum & rationem divinitus ordinatam, quâ pervenimus ad æternam salutem, David ipsam salutem & beatitudinem indicat.

57. Quia



LVII. Quia ergo Davidis dictum veras causas nostræ justificationis, ex quibus solida ac certa justificationis nostræ cognitio fuit, complectitur, ex multis hoc eligit. Causæ autem continentur in tria illa repetitione. 1. Causa impulsiva justitiae nostræ ex gratuita DEI misericordia, quæ peccata nobis remittit. Et causa illa continetur in primo membro: *Beati, quorum remissa sunt iniuriantes.* Secunda causa est meritoria, quæ est tota Christi obedientia ac meritum, quæ continetur altero membro: *Et quorum testa sunt peccata.* Nam Christi innocentia & perfecta obedientia, tanquam stola candidissima & operculo propitiatorio, reguntur universa nostra peccata. Tertia causa est instrumentaria, quæ est vera fides, cui ex correlativorum natura annexa imputatio & *λογισμός* sicut Paulus loquitur. Cui enim propter fidem imputatur justitia Christi, illi peccata imputari non possunt, licet sint maxima: Hoc ergo indicatur tertio membro: *Beatus vir, cui Dominus non imputat peccata:* Qui enim misericordiam Dei & meritum Christi verâ fide amplectitur, is ab omnibus peccatis coram Deo est absolutus, proindeq; justus ac beatus.

LIX. Atque hæc est genuina loci hujus Paulini & Davidici explicatio, ex ipso contextu fluens, & cum parallelis locis Paulinis ubiq; & per omnia consentiens. Sequenti enim cap. 5. Sicut, inquit Paulus, per unius offensam in omnes homines ad condemnationem, ita etiam δικαιώματα per unius justitiam in omnes homines ad justificationem vitae. Sicut enim per unius inobedientiam peccatores constituti sunt multi: Ita per unius obedientiam, justi constituuntur multi, 1. Cor. 1. v. 30. Sed ex ipso vos estis in Christo Iesu, qui factus est nobis Sapientia a Deo, & justitia, & Sanctificatio & redemptio. Jer. 23, 6. Hoc est nomen, quod vocabunt eum: Jehovah justitia nostra. 2. Cor. 5. v. 21. Fecit, ut, qui non novit peccata, pro nobis peccatum esset, ut efficeremur justitia Dei in ipso.

LIX. Quid obstat, quo minus res sit manifesta & tuta? sic formula: Quæ obedientia non est singulorum, & sic multorum, sed unius; illa non est nostra, sed aliena obedientia: Atqui obedientia, qua constituimur justi, non est singulorum, sive multorum, sed unius: Ergo obedientia, qua constituimur justi, non



non est nostra, sed aliena obedientia. Porro: Quâ obedientia
sive justitia constituimur justi, illa justificamur coram Deo: Sed
alienâ obedientia sive justitia constituimur justi: Ergo alienâ
justitia justificamur: Si autem alienâ justitia; ergo non inhæ-
rente.

LX. Sic ex altero dicto argumentamur: Quod Christus
nobis factus est, illud non ipsi nobis facti sumus: Atqui Chri-
stus nobis factus est justitia: Ergo non nobismetipsis facti su-
mus justitia. Excipit infra Beccanus: Non quæri, an Christus sit ju-
stitia nostra; sed an justitia Christi sit nostra justitia. illud e-
nim concedi quoq; à Papistis, hoc verò negari. Indocta objec-
tio, cum utrumq; recte dicatur, & verum sit, imò quoad sen-
sum idem. Nimirum quia id non potest dici de ejus persona:
cum justitia nulla sit persona: Neque etiam de aliis perfectioni-
bus, ut pote de ejus potentia, quod illa sit justitia nostra. Quare
cum constet, nostram justificationem peti ab obedientia sive
justitia Christi, certè necessarium est, Christum nostram justi-
tiam dici propter suam justitiam, adeoq; sensum esse, Christi
justitiam esse nostram justitiam.

LXI. Tandem qui inhærenter facti sunt justi, illi facti
sunt sibi & in seipsis justitia: Atqui nos non sumus facti nobis &
in nobis justitia: Ergo nō sumus inhærenter justi facti. Minor pro-
batur: Quia facti sumus justitia in Christo: Ergo non in nobis.

LXII. Atque sic patet, nostram dicti Paulini cum toto
contextu nec non parallelis scripturæ dictis congruere, omni-
busq; inhærentem justitiam negari. Sequitur ergo, interpreta-
tionem Jesuiticam violentam, falsam, absurdam esse, &
manifestè cum scopo ac intentione Pauli
pugnare.

Adhuc de prima Questione.

DEO SIT LAUS ET GLORIA.



99 A 6900

ULB Halle
002 622 092

3



SB

Rebro

VDT7





B.I.G.

Farbkarte #13

Blue Cyan Green Yellow Red Magenta White 3/Color Black

8
7
6
5
4
3
2
1
Centimetres
Inches

II SECUNDI
in Confessionem
STATTO VII.

continens

ARTICULI IV.

Quæstionibus,

ta tegantur,
&

on imputentur.

posita

Academiâ VVittebergensi,

S I D E

ARTINI, SS. Th.

Primario, Facult. Theol.

Alii Arcis Præposito:

ONDENTE

REICHMANNO,

Arga-Saxonæ.

Editorio Collegii Veteris

m 23. Augusti.

E B E R G Æ,

OMONIS AVERBACH,

M DC XXIX.

